

PONTANO

LYRA

(816 vers)

## DE ORPHEO NAVIGANTE ET POST AD INFEROS PRO UXORE DESCENDENTE

L\_1 v.1 Jam maris vasti penetrabat undas,  
 2 Pelion linquens Pegasea pinus,  
 3 jamque canebant agitata longis  
 4 aequora tonsis,  
 5 cum pius Phoebi citharam sacerdos  
 6 movit, insigni cecinitque plectro,  
 7 et parem nervis parilemque voci  
 8 commodat ictum.  
 9 Illicet nymphae vitreis ab antris  
 10 efferunt udum caput ac per undas  
 11 implicant, certo choreas secutae  
 12 cum pede cantum ;  
 13 illicet Triton resonante ab ore  
 14 buccinam intendit scopuloque ab alto  
 15 assonat vati ; pecus omne summa  
 16 ludit in unda.  
 17 Ipse stans celsa modulansque puppi,  
 18 purpura insigni et venerandus ostro,  
 19 ad decus famae ciet atque honorum et  
 20 praemia laudum :  
 21 fortibus summi meritum triumphi,  
 22 fortibus primae meritum coronae,  
 23 fortibus plausum populi patrumque  
 24 publica dona,  
 25 his et aeternum decus apparari  
 26 morte praelustri, his titulos sepulcri  
 27 signaque et divis solitos honores  
 28 templaque et aras.  
 29 Hic et heroas juvenumque primos  
 30 cerneret pontum validis lacertis  
 31 verrere, atque aestus pelagi et minaces  
 32 vincere fluctus.  
 33 Tum sacer vates graviore plectro  
 34 suscitans : "Hoc, hoc agite, o juvenus,  
 35 hoc, deum proles, agite et volenti in-  
 36 cumbite dextrae.  
 37 Vos labor primos hominum, diis vos  
 38 reddet aequales labor et deorum  
 39 coetui adjungens sola salsa ponti  
 40 subdet et auras.  
 41 Hoc virum virtus studiumque pulcri  
 42 poscit, hoc illud decus, hoc et illi  
 43 qui Jovi vos conciliant honores  
 44 famaue poscunt."  
 45 Talibus vates. Ibi cepit ingens  
 46 ardor heroas, novus urit ignis

47 pectora, accendit nova flamma aventis  
 48 et nova virtus.  
 49 Thraciae haec olim citharae ad labores  
 50 ac decus vis enituit canendo,  
 51 quae quoque et vati fuerit querenti  
 52 Ditis ad antrum.  
 53 Hoc refer mecum, o Erato ; per umbras  
 54 sola namque illum comitata, sola  
 55 illius luctum et lacrimas levabas  
 56 pectine mulcens :  
 57 "Mitis o mundi dea nigricantis,  
 58 supplices ad te lacrimas profundens  
 59 assum, o et vocem et lacrimas precantis  
 60 accipe vatis,  
 61 cui et Inferni patuere postes  
 62 sponte reclusis foribus canenti,  
 63 cessit intranti canis et remissos  
 64 clusit hiatus.  
 65 Conjugis manes repeto, relictas  
 66 luce sub terram in tenebras profectus ;  
 67 conjuge et pro te, tenebris relictis,  
 68 aethera conjux  
 69 et diem et caeli jubar et vagantes  
 70 siderum ac solis radios petivit,  
 71 teque et incepti pretium et laboris  
 72 praemia portat.  
 73 Fas tibi et vatis pietatis ergo  
 74 reddere assueti pretium laboris,  
 75 fas mihi optatum pretium referre et  
 76 praemia cantus.  
 77 Te deam caeli canimus, te et imi  
 78 sceptras gestantem solii, te et udi,  
 79 fluctuum campos moderantem et almae  
 80 ubera terrae.  
 81 Ipse ego et divum atque hominum sacerdos  
 82 hoc peto, et justum peto pro recepta  
 83 conjuge, et silvas moveam et profundi  
 84 marmora ponti,  
 85 sacraque et ritus statuens, dicabo  
 86 templa, et aeternum metuentur arae  
 87 supplicum votis venerandae et aurea  
 88 thuris acerra."  
 89 Interim manes stupere cantu,  
 90 distulit poenam rota, constiterunt  
 91 saxa, non angues cruciant nec hydrae  
 92 vulturiive ;  
 93 hic et umbrarum chorus et silentium  
 94 vulgus oranti affremuere, et una  
 95 plaudit heroum genus et canoro  
 96 consonat ore.  
 97 Diva tum triplex modulante cygno,  
 98 plebis et plausu, memor et rapinae,  
 99 et tori et lucis memor, in favorem  
 100 ora resolvit :  
 101 "Duc age, o vates, sociam, et laborum  
 102 quem petis finem cape ; fas sit illam  
 103 regredi tecum, modo ne in sequentem  
 104 lumina flectas."

105 Rursus umbrarum affremuere turbae,  
 106 rursus et vates citharam resumit,  
 107 ipse praecedens, sequitur canentem  
 108 aurea conjux,  
 109 vulgus atque una attonitus silentum,  
 110 monstraque et manes trepidi Gigantum,  
 111 quos triceps custos procul allatrato  
 112 arcet ab amne.  
 113 Heu, quod obstantes pelagi fragores,  
 114 quodque discordes Erebi tumultus,  
 115 quod potest dirarum animos sororum  
 116 flectere carmen,  
 117 non potest tristis oculos puellae,  
 118 pectus aut trux virginis, aut superbae  
 119 feminae immites animos feramque  
 120 vertere mentem.

#### DE AMORIS DOMINATU

L\_2 v.1 Et sitim sedat liquor, et relaxant  
 2 corda languentum latices Thyonei,  
 3 otium fessos levat, ast amantum  
 4 pectora carmen.  
 5 Tu meos seda, o Erato, dolores ;  
 6 fas sit et tecum residere, fas sit  
 7 carmen audire insolitum et te ab alta  
 8 rupe canentem :  
 9 "Imperat caelo pater ipse divum,  
 10 imperant dii semideique terris,  
 11 imperat ponto Ennosigaeus, imis  
 12 Orcus Avernis ;  
 13 at polo, et terris, Erebo, marique  
 14 imperatque et dis Amor. Hujus orbis  
 15 paret edicto superique et omnis  
 16 grex animantum ;  
 17 hoc sine et caeli status et deorum  
 18 pax ruet, terra hoc sine, pontus, aer  
 19 et laborabunt odio et suapte  
 20 mole dehiscent.  
 21 Urbium custos Amor, omniumque  
 22 gentium rector, placidaeque pacis  
 23 auctor et leges moderatur, aequo et  
 24 jure gubernat.  
 25 Hujus et jussu seges, hujus arbor  
 26 induit florem, statuunt volucres  
 27 nidum, et in prolem pecudes feraeque  
 28 sponte feruntur ;  
 29 hoc duce et virgo sequitur maritum,  
 30 et domo et matris gremio relictis ;  
 31 hac ope humanum genus et propago  
 32 cuncta perennat."  
 33 Hujus, o hujus mihi mite numen,  
 34 mite sit regnum, dea, sit benignum  
 35 sidus ; o assis facilis precanti,  
 36 dux bone amantum.

## AD ANTINIANAM NYMPHAM IOVIS ET NESIDIS FILIAM

L\_3 v.1 O ades summo Jove nata et udis  
 2 alta nympe litoribus, reposto  
 3 colle, quam Nesis genuit superbo e-  
 4 nisa sub antro ;  
 5 o ades mecum, dea, dum, relictis  
 6 Umbriae campis nemore et Sabino,  
 7 te peto Sebethiaden et amnem,  
 8 Antiniana ;  
 9 assit et tecum comes illa, quondam  
 10 sueta nympharum choreis, Patulcis,  
 11 fistula insignis simul et canoro  
 12 nobilis aere.  
 13 Vos sequor, fidae Aonidum sodales ;  
 14 Aon est vester mihi collis, e quo  
 15 forsitan et rivi scateant et ipsa  
 16 Thespias unda.  
 17 Ergo age o longum, lyra, quae sine ullo  
 18 desides cultu, per opaca ruris  
 19 Otia intactum meditemur umbro  
 20 pectine cantum.  
 21 En adest inter violas rosamque  
 22 illa, quae vernos, hiemem sub ipsam,  
 23 ore prae se fert oculisque et omni  
 24 tempore honores ;  
 25 quam prius, victis rediens ab Indis,  
 26 Liber ad festos thiasos vocabat,  
 27 nunc vocant Musae ad choreas et hortos :  
 28 huic, lyra, plaude ;  
 29 cujus adventu rosa purpureescit  
 30 et novis silvae recreantur auris,  
 31 lilia albescunt, et hiat decoro  
 32 flore hyacinthus ;  
 33 cujus afflatu induitur recentem  
 34 arbor in florem, Dryadesque ab altis  
 35 montibus cultam venerantur, uda et  
 36 Naides herba.  
 37 Venit ad litus ; mora nulla ; nymphae  
 38 litus optatum celebres frequentant,  
 39 ora mirantur rosea atque ad imas  
 40 pectora plantas.  
 41 Heu, quod adventat ferus ille Proteus.  
 42 Crede ne, virgo, pelago ; rapinis  
 43 Pontus exultat. Tua forma solis  
 44 gaudeat hortis.  
 45 Crede neu tete nemorum latebris ;  
 46 Panes et silvis habitant procaces.  
 47 Crede te Musis, Ariadna ; Musae  
 48 casta sequuntur.

## PATULCIDEM ET ANTINIANAM NYMPHAS ALLOQUITUR

L\_4 v.1 Colle de summo nemorumque ab umbris  
 2 te voco ad litus placidum, Patulci,  
 3 teque ab hortis Pausilypi et rosetis,  
 4 Antiniana,  
 5 aura dum aestivos relevat calores  
 6 et leves fluctus agitant cachinni,  
 7 dum sonant pulsae Zephyris arenae,  
 8 antraque clamant.  
 9 Antra vos poscunt, querulaeque arenae ;  
 10 en canunt illinc Meliseus alto  
 11 fistulam inspirans scopulo, canorus  
 12 inde Menalcas ;  
 13 en adest culta ad speculam et superbum  
 14 dia Mergillina jugum, en capillos  
 15 ponit unguens ambrosia, en nitentis  
 16 oris honores  
 17 fingit, alludens speculo. Huc, juvenus,  
 18 huc age, ut spectes oculos et illud  
 19 frontis exemplar, propera, et citatos  
 20 arripe gressus.  
 21 Implet en carmen nitidus Palaemon,  
 22 subsident colles numerum secuti,  
 23 nympa subnectit choreas, amato  
 24 litore Triton  
 25 currit exsultans. Cithara Palaemon,  
 26 saltibus virgo celebrant recessus,  
 27 aequor assultat, properant citatae e  
 28 monte Napaeae.  
 29 Ecce procedunt duo ruris astra,  
 30 et pedum cantu minuunt laborem ;  
 31 en favent silvae numeris canentum,  
 32 plaudit et aura.  
 33 Accipit blande Meliseus illam,  
 34 hanc Menalcas. E specula propinqua  
 35 ipsa Mergillina canit, proculque  
 36 saxa reclamant.  
 37 Litus o felix, modulante nympa,  
 38 cui et hi montes, cui et antra, et horti  
 39 assonantque arces procul, atque ab alto al-  
 40 ludit imago.

## AD SOLEM

L\_5 v.1 Sol, decus caeli superumque princeps,  
 2 auctor et lucis, moderator anni,  
 3 altor o rerumque animantiumque  
 4 et sator idem,  
 5 idem et immensi maris aequor, idem  
 6 aeris vasti spatia et jacentis  
 7 intimum terrae gremium fovesque,  
 8 et seris idem.  
 9 Omnia ex te sunt, genus omne per te  
 10 gignitur, crescit simul et perennat,

11 et tibi assurgunt nemora, et tibi herbae,  
 12 germen et omne.  
 13 Cuncta sed te cum venerentur unum  
 14 et regas cuncta, o pater alme rerum,  
 15 deseris cur nam tibi dedicatum  
 16 vulgus amantum ?  
 17 Tu choros primus numerosque nectis,  
 18 primus et carmen meditare nervis ;  
 19 negligis quare tibi dedicatos  
 20 asper amantes ?  
 21 Et tibi est arcus, tibi sunt sagittae,  
 22 et coma intonsa, et puerilis aetas ;  
 23 despicias cur nam tibi dedicatum  
 24 nomen amantum ?  
 25 Te colunt primi metuuntque amantes,  
 26 et tuum primi venerantur astrum ;  
 27 lux enim dux est, oculi duces sunt  
 28 fax et amantum.  
 29 Quin amans primus choreas lyramque,  
 30 carmen exercet quoque primus idem,  
 31 nam lyra et carmen numerique amori  
 32 pabula praebent.  
 33 Doctor et princeps choreae et magister  
 34 carminis Sol, hoc age, dux amantum,  
 35 hoc age, et curam tibi dedicatae  
 36 suscipe gentis ;  
 37 quique liquentem aera, quique salsum  
 38 aequor accendis vitreasque sedes,  
 39 ac sinus terrae gravidos, satusque  
 40 calfacis omnes,  
 41 ure spernaces juvenum puellas,  
 42 ure diversas ab amoris aura,  
 43 ure et immitis animos, tuasque  
 44 incute flammis.  
 45 Et mihi felix ades, et protervum  
 46 Fanniae pectus moderare, adacta  
 47 ventilans sparsim face, dexteraque  
 48 lampada quassans,  
 49 lampada atque illos radios, aduris  
 50 quis et immanes tigrides ferumque  
 51 aspidum ad Syrtes genus atque tetras  
 52 in mare phocas.

ANTINIANAM NYMPHAM INVOCAT AD CANTANDAS LAUDES URBIS NEAPOLIS

L\_6 v.1 Sume age intactam citharam, atque ab alto  
 2 colle descende, Antiniana, in urbem,  
 3 et novos chordis numeros novumque  
 4 concipe carmen,  
 5 urbi et assurge, o dea, quam superbae  
 6 muniunt turrets, rigat unda subterque  
 7 et specus Sebethiadum sororum,  
 8 ditat et aequor.  
 9 Antraque, et dulces Charitum recessus,  
 10 et sacri colles Cereri ac Lyaeo

11 vestiunt hanc, et nemora, et serena  
 12           temperat aura,  
 13 ver et aeternum tepidique rores  
 14 temperant, disque otia grata et almae  
 15 lucis auctor sol fovet, atque amico  
 16           spectat ab astro.  
 17 Praeficit regnis pater hanc deorum,  
 18 praeficit bellis animosa virgo  
 19 auctor et Mars militiae ac virorum  
 20           bella gerentum,  
 21 hanc domum Musae sibi vendicarunt,  
 22 et bonae hanc artes studiis bonique  
 23 cultus et recti simul et sacrorum  
 24           justitiaeque,  
 25 templaque et regum monumenta, et arces,  
 26 aedium insignes aditus adornant  
 27 et diis gratam et patribus, virisque et  
 28           plebe frequentem.

LAUDES ALFONSI DUCIS CALABRIAE DE VICTORIA HYDRUNTINA

L\_7 v.1 Mens Jovis proles, Jove Mens parente  
 2       nata, ne desis mihi, neu canentem  
 3       et decus belli et ducis acta et artes  
 4           desere vatem ;  
 5       te colo, insignis dea, thure et aris  
 6       vota persolvens, tibi nostra cultum  
 7       barbitos carmen sonat et canoro  
 8           ludit in antro.  
 9       Victor Hydrunto redit en recepto  
 10      belliger dux ; en tituli ducesque  
 11      hostium, et praeda ante rotas, et arma  
 12           capta trahuntur.  
 13      Cernite avulsos clipeos lacertis,  
 14      cernite abreptas humeris pharetras,  
 15      Medicos dextris gladios, madentis  
 16           sanguine cristas.  
 17      Ille, quem spectas humero reciso,  
 18      Nasdan est, princeps equitum ; ille, ademptis  
 19      naribus, Nabdir peditum tribunus ;  
 20           Abdelan ille  
 21      signifer, truncis manibus ; cruento  
 22      pectore hic, hic est Megabaeus ; illi  
 23      Assan, Asmir, praepositi manipulis.  
 24           gentis Eoae  
 25      signa sternuntur, phaleraeque equorum.  
 26      (Heu pudet tanti ducis) Hacumetus  
 27      ducitur vinctus manibus, gravatus  
 28           colla catenis.  
 29      Fulmen en belli venit, en Gradivi  
 30      efferi vultus, sequitur phalanxque  
 31      Eubois ; vincentum acies ahena  
 32           luce coruscat.  
 33      Ensis ille est, quo totiens Ameti  
 34      terga verterunt trepidae cohortes ;

35 hasta et illa est, qua cecidere pulsae  
 36 in mare turmae ;  
 37 ille equus, quo fulmineum sequente  
 38 Persicum in fossas violenter agmen  
 39 est datum praeceps : age, "io triumphe"  
 40 dicite, vulgus.  
 41 Hic cruentatus clipeusque et horrens  
 42 caedibus clava, hac trepidavit intra  
 43 moenia Armaspes : ag "io triumphe"  
 44 dicite, vulgus.  
 45 Illud in summa stetit arce signum  
 46 oblitum tunc Turcaico cruore,  
 47 nunc riget tabo : en age "io triumphe"  
 48 dicite, vulgus.  
 49 Hicine Alfonsus patriae receptor,  
 50 hostium victor, pepulit qui ab oris  
 51 Italis classem Argolicam et furentes  
 52 contudit ictus ?  
 53 Ite, dis nostris meritos honores  
 54 solvite ; orrentur fora, templa, et aedes,  
 55 atria argento niteant, fluatque  
 56 molle Falernum.  
 57 Me sat haerentem gremio puellae  
 58 vulnera et stratas acies referre,  
 59 et ducis fortis animos, et acris  
 60 militis arma,  
 61 utque fallacem studiis et astu,  
 62 vecte quam hasta non minus et bidente,  
 63 aggere et vallo et sudibus repressum  
 64 ceperit hostem.

## AD CHARITES

L\_8 v.1 O deae, o almae Veneris ministrae,  
 2 quae puellarum juvenumque curas  
 3 ore mulcetis, capitisque amantum  
 4 pectora cantu,  
 5 quaeque nympharum virides recessus  
 6 fluminum et ripas colitis, quae et antra  
 7 pectine arguto recreatis udas  
 8 et maris attas,  
 9 vos deae, vos, o Charites, sub umbra  
 10 myrtea, ad fontem, gelidique circum  
 11 prata Sebethi canite, et sonoras  
 12 tangite chordas.  
 13 Luditis dum, dum canitis, puellae,  
 14 auraque aestivos relevat calores,  
 15 concinuntque una nemora et quieti  
 16 marmora ponti,  
 17 ipse selectos per aprica rura  
 18 colligam flores, Cypriamque myrtum,  
 19 colligam luctus hyacinthi, et albo  
 20 lilia thyrsos,  
 21 lilia intactumque amaranthon, his et  
 22 misceam calthae decus, inque sertum



23 vinciam implexas violas et albi  
 24           texta ligustri,  
 25 quae Syram stillent madefacta nardum,  
 26 quaeque et afflatus referant Sabaeos,  
 27 Indicum et costum, Armeniique felix  
 28           gramen amomi.  
 29 His suum cingat speciosa crinem  
 30 Fannia, et quos pectore, quos et ore  
 31 spirat, hos ipsa et capite et capillis  
 32           afflet odores.  
 33 Hoc, deae, hoc, hoc, o Charites, ministrae  
 34 Cypridis blandae, hoc agite et, remissae  
 35 fila pulsantes citharae, canorum  
 36           fundite carmen.  
 37 Ecce florentis graditur per herbas,  
 38 ecce Paestanos pede pressat hortos  
 39 Virgo, quam ver insequitur, cui ipsa  
 40           it comes aura,  
 41 auraque et veris decor. En amores  
 42 lusitant circum, en pharetrae, facesque  
 43 ventilant, spargitque suos honores  
 44           laeta juvenus.  
 45 Qua movet nymphe, hac humus ipsa ridet,  
 46 ridet hac aer, fluit ipse laeto  
 47 amne Sebethus, canit uxor imo  
 48           caerula ab antro ;  
 49 hujus e vultu placidisque ocellis  
 50 instruit sese Venus et Cupido,  
 51 altera accendens faculas, et alter  
 52           spicula torquens.  
 53 Ah quid, ah, dulces Paphiae, canendo  
 54 illius mentem erigitis ? Superbit  
 55 et lyra et cantu, tumet heu protervus  
 56           carmine fastus.

UXOREM IN SOMNIS ALLOQUITUR

L\_9    v.1    Umbra sis felix mihi : suntne veri,  
           2    uxor, amplexus ? Vigilantis anne  
           3    cura te in somnis agit, atque vana  
           4    ludis imago ?  
           5    Umbra sed quamvis mihi cara, salve,  
           6    et mihi felix ades ; osculantem  
           7    osculans tete accipioque, amansque am-  
           8    plector amantem.  
           9    Credidit et virgo speculo ; ast imago  
 10    ludit indulgens speculi ; perinde  
 11    somnia et mentes capiunt, amantque  
 12    somnia mentes.  
 13    I, puer, nocti cane sacra, nocti  
 14    thura succendens. Per opaca noctis  
 15    umbra versatur, volat usa noctis  
 16    umbra favore ;  
 17    nox parit somnos, hominum quietem ;  
 18    hi vocant imis animas Avernus,

19 morte contempta, et simulacra vivis  
 20 mortua jungunt.  
 21 Vos, pii manes, memores senectae  
 22 ultimae jam, sacrificata ex acerra  
 23 munera haec, stacten capite, et Sabaeae  
 24 mercis honores ;  
 25 dumque nos rursum Elysio in recessu  
 26 jungat obstringens amor, haud gravare  
 27 et senis somnos, Ariadna, amatum et  
 28 visere lectum.

LAUDES ALFONSI ARAGONEI DUCIS CALABRIAE, FERDINANDI REGIS FILII,  
 DE CLARISSIMA EIUS VICTORIA

L\_10 v.1 Et diis cultus placet, et deorum  
 2 addecet cultus simulacra, summos  
 3 addecet montes nemora, et strepentem  
 4 populus amnem ;  
 5 litus et gemmae, mare classis ornat,  
 6 aera et lux, aurea tecta divum  
 7 sidera illustrant, varia et coruscis  
 8 signa figuris ;  
 9 at virum ingentis animos et ornat  
 10 excitans laus, et colit. O puellae  
 11 mentis altrices, meritos honores  
 12 reddite laudi.  
 13 Herculem laus ad Nemees leonem,  
 14 Herculem ad Lernae anguineos tumultus  
 15 impulit, postque emeritos labores  
 16 rettulit astris ;  
 17 liberum laus Niliaca ad trophaea  
 18 traxit, hinc ad Gangaridum triumphos,  
 19 lyncibus tandem ad superos relato  
 20 templa dicavit ;  
 21 haec Alexandrum penetrare ad Indos,  
 22 ad mare ignotum Libycasque arenas  
 23 compulit sic, ut nihil ante majus  
 24 viderit aetas ;  
 25 Caesarem dehinc innumeris trophaeis  
 26 et mari et terra Oceanoque partis  
 27 extulit laus, hoc superante victus  
 28 concidit orbis ;  
 29 patrii cultus studium et salutis  
 30 publicae laus Scipiaden ad Afrum  
 31 litus impegit juvenem, unde Roma  
 32 libera risit.  
 33 Par amor, par et studium fidesque  
 34 traxit Alfonsum, procul ut repulso  
 35 Ausonis tellus Siculumque litus  
 36 riserit hoste.  
 37 Hunc pater rex, hunc Italus senatus  
 38 laudet, hunc matres pueris receptis,  
 39 virgines hunc ingenuae, ac per aras  
 40 sacra frequentent.

## AD AMOREM

L\_11 v.1 Dic, age, ecquisnam modus, o deorum  
 2 victor et princeps Amor, ecquis ordo,  
 3 dic, rogo, ecquae lex oculis, amantum  
 4 dic, age, rector ?  
 5 "Nec modus quisquam, neque lex, nec ordo  
 6 ullus est, vates, oculis. Amandi  
 7 rector et dux est animus, suoque  
 8 mens cita ductu.  
 9 Hanc movent curae cupidique sensus,  
 10 acris et versans agitatur cupido,  
 11 blandiens secum trahit et voluptas  
 12 insita cordi.  
 13 Hi duces, hi sunt oculis ministri,  
 14 mutua inter se aut varians amantum  
 15 cura, quam sensus sequitur videndi  
 16 motus et exter.  
 17 Tu tuae morem placidus puellae  
 18 et gere, et molle imperium ferendo  
 19 illius vincas animos trahasque  
 20 in tua vota ;  
 21 hinc tibi et blandos oculos, et illos  
 22 hinc tibi vultus faciles parabis,  
 23 jure quis felix tibi et invidenda  
 24 sorte habearis.  
 25 Hic modus, lex haec oculis et ordo.  
 26 Finge te ad nutus dominae, nec illi  
 27 asper obsiste ; hoc age, blandiendo  
 28 pectora mulce."  
 29 Haec Amor. Sed nec precibus movetur  
 30 tigris, aut cantu leo, non amando,  
 31 quae caret sensu refugitque amari,  
 32 Caspia cautes.  
 33 Excoquit saxum violentus ignis,  
 34 robur et ferrum penetrat, sed hujus  
 35 feminae immitis animos rigenti  
 36 pectore cinctos  
 37 non Amor certis penetrat sagittis,  
 38 urit aut lentis Cytherea flammis,  
 39 non lyra mulcens Erato, aut amico  
 40 carmine mollit,  
 41 hujus, heu, quae virgineo sub ore  
 42 condit innatos adamantas, et quae  
 43 aequoris Tusci scopulos, nivemque  
 44 et juga Tauri.

## AD AMICAM, DE EIUS PULCHRITUDINE ET AMANTIS INFELICITATE

L\_12 v.1 Tene, dum ludis, Charites sequuntur ?  
 2 Tene, dum rides, Amor ? Ah me amantem  
 3 et fugit risus, fugiuntque lusus

4 et charis omnis.  
 5 Dum canis, tecum Aonides puellae  
 6 concinunt, et dum loqueris Lepores  
 7 fantur. Heu, me non lepor, heu dolentem  
 8 non levat Aon.  
 9 Dum minax in nos oculos retorques,  
 10 et deos irata male imprecaris,  
 11 ingruit statim dolor et deorum  
 12 Ira minantum.  
 13 Nonne et, infelix miserumque amantis  
 14 munus, est illi dolor, est et usque  
 15 curaque et maeror comes, est laborum  
 16 certa propago ?

## POLYPHEMUS AD GALATEAM

L\_13 v.1 Cur fugis, virgo, Polyphemon, Aetna  
 2 quem cupit pascens tacitas favillas ?  
 3 En ego ad litus propero, ipsa in altos  
 4 is vaga saltus.  
 5 Qualis in pratis melilotos udis  
 6 carices inter nitet, inter ipsa  
 7 Crathidis nymphas facieque et omni  
 8 corpore praestas ;  
 9 alta ut in silvis humiles myricas  
 10 fagus excellit, pecudum magistros  
 11 ipse sic cunctos et honore barbae et  
 12 crine relinquo.  
 13 Est tibi insignis coma, qua nitescis ;  
 14 sunt mihi et setae, quibus ipse et hircos  
 15 atque oves solus supero, genisque  
 16 et nemus horret :  
 17 cur fugis, virgo, Polyphemon, Aetna  
 18 innuit cui, et vocat usque ab alto  
 19 monte succensis facibus, suosque  
 20 indicat ignes ?  
 21 En pedum, cujus capulo suilli  
 22 albicant dentes, riget acer ictu  
 23 corneus mucro, medio revinctus  
 24 serpit acanthus ;  
 25 aspice hunc sparsis maculis galerum :  
 26 en decus rarum capitis, superbit  
 27 hinnuli pelle, en tremit asper hirto  
 28 conus echinno ;  
 29 en tegit plantas capreae revulsus  
 30 pero de tergo, ligat hunc acerno  
 31 fibula amplexu, Gelae benignum  
 32 munus amantis.  
 33 Cur fugis, virgo, Polyphemon, ipsa  
 34 Aetna quem rursus vocat, atque ab alta  
 35 innuit rupe et facibus superbum in-  
 36 vitat amantem ?  
 37 Non mihi desunt, Galatea, lanae,  
 38 non oves, bis quae pariant in anno,  
 39 bis die ad mulctram veniant vocatae

40                   nomine vaccae,  
 41 vellera atque assunt nivea, et petulci  
 42 vir gregis bifrons caper, et tricornis  
 43 ille et insultans aries, Sicani  
 44                   litoris horror,  
 45 ille et insultans vitulis mihique  
 46 taurus instans cornibus : ah Pelori,  
 47 ah Gelae pastor, cave, et insolentem  
 48                   pelle juvencum.  
 49 Cur fugis, virgo, Polyphemon, illum,  
 50 cujus ad formam stupeant vel undae,  
 51 cujus et robur nemora et lacertos  
 52                   saxa tremiscant ?  
 53 Lacte de nostro fluitent et amnes,  
 54 surgat hoc ipso tumultus coacto,  
 55 mille equae ad ripas stabulentur alti et  
 56                   flumina Anapi ;  
 57 mille te caprae totidemque et haedi,  
 58 mille te vaccae totidemque tauri,  
 59 mille te e nostris stabulis sequentur  
 60                   ubera equarum,  
 61 si semel mecum, Galatea, mecum  
 62 litus invisens Sicularumque terras,  
 63 duxeris mecum choreas amatae ad  
 64                   carmen avenae.  
 65 Cur fugis, virgo, Polyphemon ? Ecquem  
 66 Italis tellus Polyphemon, ecquem  
 67 Brutii montes Oriarchon, amnis  
 68                   ecquem habet ullus ?  
 69 Unicum est soli Polyphemo, at ingens  
 70 lumen : hoc uno fugo et ipse nubes,  
 71 montium hoc uno fugo tetra et amplae  
 72                   monstra lacunae.  
 73 Ipse, dum vastum mare curro, adaequant  
 74 genua nec fluctus ; tiliiae nec aequant,  
 75 erro dum silvis ; mihi cedit unda,  
 76                   cedit et aer.  
 77 Quin et, hac dextra quotiens Pachynni  
 78 verticem aut summi quatio Pelori,  
 79 Ausonium litus tremit et Libyssae  
 80                   tractus arenae.  
 81 Quem fugis, demens Galatea, cujus  
 82 aequet et divos genus, et propago  
 83 imperet silvis, pecori, ac magistris,  
 84                   et maris undis ?  
 85 Sunt mihi ursorum simul et leonum  
 86 fistulae assueti catuli manuque,  
 87 quos ego in lusum illecebrasque natis  
 88                   et tibi servo,  
 89 sunt et assueti manibus jocisque  
 90 piscium foetus teneri : hos puellis  
 91 et tibi servo. O age, dura nostrae  
 92                   causa querelae,  
 93 et fove ingentem Polyphemon, antra  
 94 ipsa quem vix jam capiunt, vel ipsi  
 95 montium saltus ; age, dura nostrae  
 96                   causa querelae,  
 97 et tege amplexu Polyphemon, ipsae

98 quem tegunt vix aut tiliæ, aut comantes  
 99 aesculi, aut pinus ; age, dura nostrae  
 100 causa querelæ,  
 101 osculo et dona Polyphemon. Heu heu,  
 102 osculum et voces fugit ; ah superba,  
 103 ah parum felix fugit, et sub imo  
 104 conditur amne.

## AD FIDEM

L\_14 v.1 Quo fugis, rerum dea, quo, deorum  
 2 o Fides nutrix ? Maria alta tete  
 3 hospitem pellunt, fugat ipsa iniquo  
 4 foedere tellus,  
 5 te fugant arces, fora, templa, castra,  
 6 te fugant reges, fugat et sacerdos  
 7 summus. Heu, ne te undique jam fugatam  
 8 arceat aer,  
 9 quo minus caelum repetas, et ipsae  
 10 denegent auræ in patriam regressum.  
 11 I, fuge ad manes, fuge ad ima et atri  
 12 Tartara mundi ;  
 13 comiter namque accipiere. Manes  
 14 et colunt justum, et venerantur æqua :  
 15 hi tibi assurgent meritæ, piaque  
 16 sede locabunt,  
 17 si modo et tu pontificem catenis  
 18 traxeris vinctum. Hoc, age, diva, et unco  
 19 protrahens tracta, solique ad aram  
 20 siste tremendam,  
 21 foedat incaestu sacra qui nefando,  
 22 qui, fide fracta, Italiam Rutenis  
 23 prodidit, quique Ausoniam repenso  
 24 vendidit auro,  
 25 quo suos natos (scelus ah supremum)  
 26 ornet insigni diademate, alto et  
 27 ponat infames solio pianda  
 28 caede cruentos.  
 29 Hunc trahe, hunc unco, dea, merge, et illos  
 30 amne mactatos Tiberino ; et una  
 31 hinc patrem, hinc natos Erebi profundos  
 32 trude ad hiatus.

## AD VENEREM COMAE ATQUE OSCULI DEDICATIO

L\_15 v.1 Te Jovis prolem, Venus alma, nostris  
 2 ut sacris assis, humiles precamur,  
 3 supplices tete, dea, nunc adimus  
 4 et tua templa.  
 5 Tu preces nostras et amica thura  
 6 accipe, amborum genitrix amorum,  
 7 et tibi votum, tibi dedicatum

8                   accipe crinem.  
 9   Vovit hunc olim, patria recepta,  
 10 pro duce et victore, fugato Ameto,  
 11 pro focus arisque Ariadna : voces  
 12                   supplicis audi.  
 13 Ipse ego illius tibi, diva, ab ore  
 14 osculum supplex voveo, dicoque :  
 15 osculum ex voto cape, Cypri, gratosque  
 16                   oris honores.  
 17 Tu meum, victrix hominum deumque,  
 18 tu parens rerumque animantiumque,  
 19 cujus est quicquid tenerum decensque  
 20                   pectora mulcet,  
 21 tu meum, felix Cytherea, plectrum  
 22 adjuva et dulcis numeros ministra,  
 23 dum tuum numen cano, dum tibi arae  
 24                   molliter halant.

POLYPHEMUS A GALATEA SPRETUS CONQUERITUR IN LITORE

L\_16   v.1   Litus o, nostris faveas querelis,  
       2   sparsaque ad siccas ades, alga, cautes,  
       3   vos meos questus procul, icta longe  
       4            saxa, fovete.  
       5   Ille ne, heu, quondam Polyphemus, ille  
       6   maeret ad fluctus ? Pudet heu canorae  
       7   fistulae, quae olim et tiliis et alnos  
       8            blanda movebat,  
       9   cujus ad cantum pecudes coibant,  
      10   et ferae e lustris, et aves ab alto  
      11   aethere, et mutae procul a Palici  
      12            litore ranae.  
      13   Ad meam dulcis Geleae cicutam,  
      14   ad meam mollis Lilybaea avenam,  
      15   et meos flava ad calamos ruebat  
      16            Aciaea,  
      17   saepe et ad nostros Arethusa cantus  
      18   flexit et molles iniit choreas,  
      19   saepe et ad nostros numeros per attam  
      20            lusit Anape.  
      21   Agmen o felix ovium, beati  
      22   et greges, felix aries et hircus ;  
      23   hunc amat mulcens Arethusa, at illum  
      24            ardet Anape,  
      25   illa Cirronem viola coronat,  
      26   haec Cerastinum religat cypero,  
      27   ludit in pratis utraque et sequenti  
      28            plaudit amanti.  
      29   O ubi ille, ille est Polyphemus, albi  
      30   velleris dives niveique lactis,  
      31   mille quem vaccae, totidem juveni,  
      32            mille capellae  
      33   cum suis haedis, pecudesque mille,  
      34   mille post agni comitantur ? Albet  
      35   terra candore, et nemora ipsa balant,

36                   balat et aer.  
 37       Mille equae armentum Polyphemi, et Aetna,  
 38       Aetna miratur Polyphemon. Una  
 39       ridet informis Galatea, nigro  
 40                   pectore, nigris  
 41       displicens mammis Galatea. Abite,  
 42       mille oves, mille et pecudes, capellae  
 43       mille cum fetu, procul ite, equarum  
 44                   tanta propago :  
 45       hoc pedum dextrae decus, hoc puella  
 46       Brutiae gentis Galatea ridet,  
 47       ridet hoc saxo sata, ridet heu heu  
 48                   hoc Galatea,  
 49       quod tremit litus Siculum, quod Afra  
 50       horret et Syrtis. Procul ipse rupem  
 51       colle de summo objiciam, et fluenti  
 52                   ostia claudam,  
 53       ne in mare accessus pateant superbae,  
 54       quae meam temnit male grata barbam,  
 55       jure cui Marsi invideant et ipsi  
 56                   Cinyphes hirci ;  
 57       quae meos spernit male amica cirros,  
 58       quis vel intonsae invideant capellae ;  
 59       quae meo avertit faciem galero,  
 60                   dedecus undae.  
 61       Hunc mihi dono dedit illa quondam  
 62       carminum cultrix Helime atque avenae,  
 63       despuit quem (pro pudor) e lutoso  
 64                   edita fonte.  
 65       Lumen hoc unum mihi, quod decora  
 66       fronte diffulget, nec honore soli  
 67       cedit, hoc, o Crathidis orta caeno  
 68                   filia, damnas ?  
 69       I, nigris mammis, nigricante dente,  
 70       crine subcrispo Galatea, et amne  
 71       merge te immundo. Polyphemon Aetna,  
 72                   Aetna tenebit,  
 73       Aetna nympharum decus, Aetna florum  
 74       mater. O longum mihi culta, salve,  
 75       et tuos ignes specula e suprema  
 76                   porrige amanti.  
 77       Ite, oves, ite, o placidae capellae.  
 78       Lucet. En montis dea porgit ignes.  
 79       Linqute et noctem Galateae, et atram  
 80                   linqute nubem ;  
 81       ite io, fidae comites capellae,  
 82       eia io, incanae pecudes, abite ;  
 83       vos manet, meque innuit en ab altis  
 84                   rupibus Aetna.